



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Series Actorvm Omnivm In Canonizazione Sancti Thomae  
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Decius Sancti Hadriani Cardinalis Azzolinus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

tum, & legis attingitur plenitudo. Quapropter, accedentibus si-  
gnis, quibus etiam post mortem mirabiliter clausit, sacros ex-  
mio huic Sacerdoti honores, S. V. autoritate incunctanter cen-  
sco deferendos.

### Decius Sancti Hadriani Cardinalis Azzolinus.

**B**eatissime Pater. Simile est Regnum Cœlorum thesauro  
abscondito. Thomæ Charitas thesaurum hunc eduxit è la-  
tebris, ac iam non absconditum, sed Ecclesiæ vniuersæ expositum  
thesaurum, quem publicè portauit, imò effudit in via, possidet  
felix in Patria. Thomas verè fidelis, qui non opus habuit digi-  
tum inferre vulneribus, ut Christum agnosceret: sed benè tetigit  
Christos Dei, dum manus suas extendit ad pauperes, eorum  
egestati aperuit, plagis admouit. Quando igitur tanta animo-  
rum, ac rerum dissidia Christianum orbem vndique distrahunt;  
quid utilius; quid opportunius; quam expotere fidelium oculis  
exemplar pulchræ dilectionis, & obijcere viris sanguinum, Vi-  
rum Charitatis? Profectò nihil erit incitamenti vehementius, quo  
& Ecclesiæ, & Mundi Proceres, in publicas, priuatasque fidelium  
necessitates, opes vnâ, & operam serio impendere vrgeantur.  
Nec ad ultricem Numinis iram procul auertendam, minorem  
fibi Patronum à S. V. poscunt præsens Orbis Christiani calami-  
tas, Religionis pericula, Ecclesiæ iactura. Cum igitur virtutibus,  
& signis Beati Thomæ mature iampridem, & illiculenter proba-  
tis, accedant Hispanici Regni simul, & Cleri vniuersi vota; imò &  
præsertim Regis Catholici preces enixa; id pro auita, & verè au-  
gustissima Austriacæ Domus pietate impensè postulantis; erit sanè  
opportunum fidelibus, & præsidium, & exemplum, Beatum Tho-  
mam de Villanova, auctoritate Apostolica, Sanctum dici, & coli  
facro ritu. Iure enim post multiplex opus virtutis, & fortitudi-  
nis emeritæ debetur corona impressa signo sanctitatis, imò &  
magnificentia in sanctificatione illi, qui, ut cum Apostolo sanctifica-  
ret Christum in corde suo, propter miseriam inopum, & ge-  
mitum pauperum continuò exurgens cum Domino meruit  
etiam

etiam induci in montem sanctificationis, quem bene super egenos intelligens acquisuit sibi dextera eius.

Successuè omnes Prælati simul assurrexerunt, & stantes, singuli his verbis sua suffragia tulerunt.

**Volumius Bandinellus Patriarcha Constantopolitanus Assistens.**

**B**eatus Thomas de Villanova, quem Pontifex sempiternus cumulata virtutum omnium iustitia, & miraculorum ostentis largè ditauit, & mox Ciuem Sanctorum, & cœlestis Aulæ domesticum, syderum suffragijs asseruit; auspicijs tuis, Beatisime Pater, iure datur in exemplum sacris Ecclesiæ Præsulibus, ut frigescenti Charitati, ac Pietati propèmodum collabenti opportunè succurrat. Cum Templum Lateranense fatisceret, Sanctorum illud supposita ceruix, humerique fulserunt. Ruentem Ecclesiæ disciplinam instaurant exempla Sanctorum. Nihil enim ad sanctitatem magis inflamat, quam illustre sanctitatis exemplum. Meritò nunc ille, qui per ardua quæquè, Sanctorum imitatus est normam, nobis proponitur imitandus. Quapropter nèdum censeo Beato Præsuli venerationem, cultumque deberi fidelium; sed glorior in Domino, quod mihi feliciter contigerit in hoc sacro sancto confessu, velut æternis Ecclesiæ tabellis, humile suffragium apponere.

**Aegidius Columna Archiepiscopus Amiensis Assistens.**

**S**i quis miseretur pauperis, beatus erit, ut Diuina canunt oracula. Beatus Thomas à Villanova, qui omnem suam substantiam dispergens dedit pauperibus, meritò à S.V. inter Beatos Coelites referri debet, ut iustitia eius maneat in sæculum-sæculi.